

LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN

MELETEMATA
DE PUBLICA CURA ANNONAE
APUD ROMANOS.

SCRIPSIT

ET

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO
PHILOSOPHORUM ORDINE IN ACADEMIA FRIDERICIA
GUILELMIA RHENANA RITE IMPETRANDOS

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE IX. MENSIS AUGUSTI A. CIƆIƆCCCLI.

PUBLICE DEFENDET

ERWINUS NASSE
BORUSSO-RHENANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

WOLDEMARUS HARLESS, STUD. PHIL.
IOANNES VAHLEN, SEM. PHIL. SENIOR.
IOANNES BRANDIS, SEM. PHIL. SODAL. ORD.

BONNAE,
FORMIS F. P. LECHNERI.
MDCCCLI.

PATRIS · MANIBUS.

SACRUM.

Quamvis iam ante nostram aetatem de publica cura annonae apud Romanos complures viri doctissimi verba fecerint neque pauca e veteribus scriptoribus de ea congesserint, tamen multo clariorem lucem nunc huic rei attulerunt et Mommsenius in libro suo de Romanorum tribubus (p. 178—208) et Kuhnius disserens de frumento Romam importato in Bergkii et Caesaris ephemeridibus (1845. p. 993—1008. et p. 1073—1084). Sed cum ad suum quisque finem varias tantum rei frumentariae partes hi perscrutati essent, operae pretium putavi, et in universam huius rei administrationem, qualis quidem et liberae reipublicae temporibus et primis imperatorum saeculis fuisset, pro meis viribus indagare, et eo praesertim animum advertere ut explorarem, quae in populi Romani historia huius instituti ratione habita, clarius perspici possent. Quam de hac re nunc conscripsi dissertationem, eam ita institui, ut multa quae ad liquidum iam ab aliis mihi viderentur adducta, aut obiter tantum attingerem, aut prorsus omitterem. Disposui autem totam in quatuor partes, in quarum prima egi de publica cura annonae ante legem Semproniam, in altera de legibus frumentariis, in tertia de constituta per Iul. Caesarem et Augustum largitione frumenti, in quarta denique de provinciis frumentariis frumentoque ex iis Romam invecto.

CAPUT I.

De publica cura annonae ante legem Semproniam.

Iam primis reipublicae temporibus ante bella Punica urbis annonae publice consultum esse satis constat. Quamquam enim apud Romanos tunc etiam agrorum cultura quam maxime floruit, tamen cum saepe eorum rura frugum calamitate vexata fuisse videantur neque civibus Romanis fere ullum illo tempore cum remotis populis esset commercium, ipse senatus in talibus angustiis per legatos frumentum in aliis terris emendum et Romam apportandum curavit. Sic interdum ex Sicilia et praesertim ex interiore Etruria, et Umbria [1]) urbis annonam sublevatam esse a Livio comperimus (II. 34; IV. 12, 52.). Nec tamen in fame tantum et inopia frumentum convexit senatus, sed perpetua antiquitus in urbe habita esse videtur annonae cura. Nam aediles plebis frumentariam negotiationem iam priscis temporibus moderabantur, dardanarios apud plebem accusabant, multisque persequebantur [2]); quae provincia sicut tota annonae cura urgente fame etiam praefecto annonae tradita esse narratur, cui vel omnis frumenti, quod singuli cives possidebant, occupandi et publice dispensandi potestas fuit (Liv. IV. 12.).

Multo vero grandiore modo annonae urbanae prospici coepit, cum quinto iam urbis cond. saeculo, praesertim au-

1) Eas Italiae partes, quae mari Tyrrhenico adiacent, omni tempore propter similem coeli naturam iisdem annonae calamitatibus afflictas esse ac Latium, Niebuhrius observavit (Röm. Geschichte II. n. 919. edit. III.).

2) De quo aedilium munere vide quae congesserint Becker Handb. d. röm. Alterthümer tom. II. p. 2. p. 297 et p. 321 sq. et Rein Criminalrecht der Römer p. 829 sq. atque de perniciosa in his terris frumentariorum vi Niebuhr R. Gesch. II. p. 476. n. 936.

tem altero bello Punico agrorum Italicorum cura maximum cepisset detrimentum [1]). Romanos enim non fugisse videtur, quantam haec res cum toti civitati, tum imprimis urbi afferre posset calamitatem. Itaque cum eo ipso tempore Sicilia insula communi veterum testimonio uberrima in eorum potestatem esset redacta, hanc provinciam ita administrarunt, „ut non incolarum modo alimentis frugifera insula, sed urbis Romae atque Italiae, id quod multis saepe tempestatibus fecerat, annonam levaret" Liv. XXVI. 40. Quod quibus modis assecuti sint, Kuhnius loco s. l. indagare conatus opinatur iam illo tempore (nam de posterioribus ab eo pro certo demonstratum est) decumas frumenti, quas ab omnibus fere agris Siculis lege Hieronica Romanos exegisse consentaneum est, ita vendi solitas esse, ut certa non pecuniae, sed frumenti copia a decumanis solveretur. Quod frumentum ex his venditionibus redibat, id, si exercitibus alendis non consumeretur, in urbem esse allatum ibique modico semper pretio publice venditum esse putat. Quae sententia licet mihi quoque satis probabilis videatur, tamen haud scio an etiam alio et efficaciore modo ad suam rem Siciliae ubertatem convertere Romani sciverint. Nam quod ex Polybii libr. XXIIX. c. 2. collegit C. G. Nitzschius (l. l. p. 156.), coercuisse senatum frumentariam Siculorum cum alienis terris negotiationem, id facillimum habet explicatum, si ad curam annonae urbanae refertur. Videtur enim senatus vetuisse, ne ex Sicilia alias in terras frumentum comportaretur quam in Italiam. Eam ob causam Rhodii, cum ex hac insula evehere vellent frumentum, antea per legatos veniam petiisse narrantur a senatu Romano, qui centum millia medimnorum exportandi eis potestatem fecit (Polyb. l. l.). Ad annonam autem urbis levandam hanc negotiationem esse interdictam mihi confirmari videtur et supra laudatis Livii verbis et aliis, quae in l. XXX.

1) cf. C. G. Nitzschii librum de Gracchis p. 11—14. et passim.

c. 38. exstant, ubi narrat commeatus ex Sicilia et Sardinia iam altero bello Punico nondum finito tantam in urbe effecisse annonae vilitatem „ut pro vectura frumentum mercator nautis relinqueret.“ Quod mirum videri non potest, si omne frumentum, quod ipsorum usui superesset, aliis populis quam Romano vendere provinciales prohibebantur. Nam e Sicilia Ciceronis tempore, cum iam post bellorum servilium devastationes haud ita ut antea Siculi agri colerentur [1]), senatus Romanus uno anno 6,800,000 modium Rom.[2]) (circ. 1,050,000 med. Berol.) exportandum curavit. Atque etiam nunc cum harum terrarum cultura mirum quantum distet ab illa, quae veterum temporibus fuit, evehuntur e Sicilia quotannis circiter 444,000 med. Berol. variorum frumenti generum, e Sardinia autem, si opima messis est, uno anno 800,000 med. Berol. (cf. Schubert Handbuch der allgem. Staatskunde I. ps. 4. p. 57 et 268.). Verum ut in Sardinia nulla fuerit lex, quae alias in terras quam Romam frumentum comportari vetuit, tamen iisdem publicis frumenti collationibus ac Sicilia subiecta fuit haec provincia. Nam non solum vectigal decumarum tota insula pendebat, sed praeterea etiam alterae decumae ei interdum imperabantur, pro quibus pretium a senatu constitutum provincialibus solvebatur (Liv. XXXVI. 2., XXXVII. 2. etc. Cic. in Verr. III. 12, 13; 16, 77.). Et magnam quidem in partem hae decumae ad exercitus alendos adhibitae esse videntur. Sic Livius (XXXVII. 50.) narrat et solitas decumas et insuper alteras indictas ab utraque insula in provincias, ubi bellum gerebatur comportatas esse, alio autem loco alteras tantum, quae ultra solitas erant imperatae, in terras ubi belli sedes erat, missas esse dicit (XLII. 31.) et aliquoties diserte declarat partem earum Romam esse allatam (XXXVI.

1) cf. Niebuhr Vorträge über röm. Gesch. II. p. 264.

2) Cicer. in Verr. III. 72. 3000,000 e primis, tantundem ex alteris decumis, 800,000 modium frumenti imperati.

2., XXXVII. 2.). Sed monendum Livium in omnibus his locis de bellorum tantum temporibus referre, quibus magnae militum copiae in terris longinquis dimicantes magna vi frumenti praeter consuetudinem indigebant. Quare si etiam tum senatus frumentum Romam convehendum curavit, eum hoc pacis temporibus non neglexisse puto. Atque si moris fuit non pecunia sed frumento harum provinciarum decumas vendere (quod et Livii loca modo laudata et multa veterum scriptorum testimonia a Kuhnio p. 995—997. allata probant), iam per se mihi probabile videtur, id frumentum, quod a publicanis solvebatur, non in Sicilia et Sardinia provinciis uberrimis, sed Romae venditum esse. Quod cum de Ciceronis aetate, ut iam supra monui, post Kuhnii disputationem nihil amplius dubii habeat, etiam de ea, quam nunc tractamus, vix ambiguis confirmatur testimoniis. Sic de Sardinia Livius narrat „Carales exercitum reduxit. — Sardiniamque perdomitam nuntiat patribus et stipendium quaestoribus, frumentum aedilibus — tradidit" (XXIII. 41.). Quod enim non urbis usui, sed exercitibus destinatum erat frumentum, non aedilibus tradebatur, sed consulibus (ut alias Livius refert XXII. 37.). Neque deest simile de Sicilia testimonium. In hac enim insula, quamvis per bellum Punicum alterum admodum devastata esset, tamen cura Valerii proconsulis tantum „provenit frumenti, ut et Romam mitteret et Catanam conveheret, unde exercitui — posset praeberi" (Liv. XXVII. 8.).

Itaque iam M. Porcius Cato nominavit Siciliam „cellam penariam reipublicae nostrae, nutricem plebis Romanae" (Cic. in Verr. II. 2.). Neque exiguos fructus urbem iam saeculo sexto ex ubertate harum insularum cepisse, haud scio an inde colligi possit, quod quamquam labente Italorum agrorum cultura, tamen in posterioribus T. Livii libris rarius quam in prioribus de fame et inopia Romanorum traditum est. Videtur enim haud leviter sumpsisse hic scriptor talium calamitatum memoriam ex annalibus maxi-

mis, in quibus teste Catone (apud Gellium II. 28.) notatum erat „quotiens annona cara." In agris autem Italicis praesertim in suburbanis tanti commeatus non potuerunt non nocere frumenti culturae per Punica bella iam admodum labefactatae. Quae enim per eos in urbe orta est vilitas annonae mihi prae ceteris causis effecisse videtur, ut in his Italiae partibus tum multo minorem agricolae ex arationibus fructum caperent, quam e pascuis. Quod nota illa dicta Catonis [1], quem saepe laudamus, testantur, qui semper agricolis pecudum pastum tanquam maximum et certissimum quaestum commendare solebat. Itaque inter alias causas, ob quas frumenti cultura in Italia per saeculum sextum u. c. magis magisque a vetere virtute declinavit — id quod a C. G. Nitzschio nuper in libro iam supra laudato de Gracchis optime expositum est — mihi id non praetereundum videtur, quod propter insularum subvectiones in media praesertim Italia iam minor quam antea quaestus ex arationibus redundavit.

De aliis provinciis, quae iam hoc saeculo frumentum Romam mittere solitae essent, quod sciam, nihil nobis traditum est. Nam etiamsi in Hispania decumae frumenti commemorantur (Liv. XXXXIII. 2.), tamen eae paucis tantum agris publicis indictae [2] neque Romam allatae esse videntur. Interdum autem in ipsa Italia agri publici decumae frumento locatae esse apparent. Quod altero bello Punico, cum saepius inopia et fame urbs premeretur, in toto Campano agro factum esse Livius refert [3]. Neque

1) Plin. hist. nat. l. XVIII. c. 5.: »Idem ille Cato interrogatus, quis esset certissimus quaestus, respondit, si bene pascas; quis proximus si mediocriter pascas«; atque eodem modo de re rustica c. 9. suadet: »Prata irrigua si aquam habebis potissimum facito, si aquam non habebis, sicca quam plurima facito.«

2) cf. Nitzsch l. l. p. 146. et Cicer. in Verrem III. 6. 12. ubi Hispaniam provinciam stipendiariam nominat.

3) XXVII. 3.: »locavit autem omnem« (sc. agrum Campanum) »fru-

semper insularum fruges ad cives exercitusque alendos suffecisse inde perspici potest, quod belli temporibus fere omnibus sociis imperare solebant Romani frumenti collationem (Liv. XXXVI. 3, 4. XXXXIII, 6.).

Quo tempore continua haec e transmarinis terris subvectio frumenti Romae incipiebat, primum decretum esse puto, ut semper unus quaestorum Ostiam mitteretur, qui ibi curam frumenti advecti haberet. Qua provincia postea nulla alia quaestoria potior habita esse videtur. Nam cum quaestores sortiebantur, hoic populus acclamare solebat (Cic. pr. Murena c. 8.) neque eam „ad principem et senatus et civitatis M. Scaurum" transferre senatus dubitavit, cum male a Saturnino administrata esset (Cic. pro Sestio c. 17).

CAPUT II.

De legibus frumentariis.

A publica cura annonae, quam antiquitus in urbe habitam esse modo vidimus, multum differt largitio frumenti, quae saeculo septimo u. c. Romae in consuetudinem venit. Quod enim antea publico sumptu Romam portabatur frumentum ab aedilibus plerumque eodem pretio, quo alii negotiatores vendebant, perraro minoris venumdatum esse [1])

---

mento«; cf. de hoc loco Niebuhr Röm. Gesch. II. p. 157. n. 285.; atque idem nescio an factum sit bello Italico Cic. de lege agr. c. 29.: »An obliti estis Italico bello, amissis ceteris vectigalibus, quantos agri Campani fructibus exercitus alueritis.«

1) Livius frumenti propter insolitam praesertim commeatuum magnitudinem interdum admodum vili pretio distributi semper mentionem facere videtur. Quae loca et alii collegerunt et Besecke de frum. largitione cap. 1. (Mit. 1775.). Cum saepius adhuc hoc

videtur, post C. Grachum vero perquam exiguo semper pretio certum tritici modum omni mense donatum esse singulis civibus Romanis consentaneum est. Quamquam quae de hac re lata est legum series, summi fuit in partium certamine momenti, tamen parum eam nunc cognitam habemus. Atque iam de prima, quam C. Sempronius Gracchus tulit, nihil aliud quam pretium singulis frumenti modiis statutum certis veterum testimoniis traditum est. Verumtamen non semisses et trientes hoc fuisse, ut antea credebatur, sed senos asses et trientes Mommsenius demum e veterum librorum scripturis eruit (l. l. p. 179, 180.); omnemque de eius restitutione dubitationem Walterus [1]) nobis ademit, laudans Ciceronis verba pr. Sestio c. 25, qui per legem Clodiam remissis his senis et trientibus quintam prope vectigalium partem sublatam esse dicit. Quae verba ineptissime tantum de semissibus et trientibus proferri, quis est qui non videat? Quare vix operae pretium erit refutare, quae contra Mommsenium Kuhnius attulit. Unum tantum argumentum diligentius examinare volumus, quia ad totam rem frumentariam Romanorum diiudicandam summi momenti est. Repugnare enim putat Kuhnius pretio a Mommsenio e libris exhibito, quod Cicero legis Semproniae liberalitatem saepius acerrime increpat. Verum modicum fuisse tritici pretium saeculo septimo sestertios ternos ipse Kuhnius haud ignorat. Hoc enim suo iure Boeckhius inde collegit, quod ipse senatus Romanus sestertios ternos vel ternos semis pro singulis tritici modiis solvebat (Metrolog. Untersuchungen

libellum commemorari video, non possum hic non breviter attingere auctoris et levitatem et impudentiam, qua non solum Septimium et Alexandrum Severum aliaque eiusmodi confundit sed etiam verba, quae ex latina quadam versione Cassii Dionis sumpsit, Plinio et Senecae adscripsit multaque e Contareni de frumentaria largitione commentatione et ex Gothofredi ad iuris codices commentariis verbotenus transscripsit.

1) Römische Rechtsgeschichte I. p. 536. n. 18.

p. 420.). Itaque iam dimidii huius pretii iacturam fecit aerarium, si senis assibus et trientibus vendebat [1]). Sed et in hac re et in tota cura annonae diiudicanda fugere neminem debet, multo maiorem eius varietatem apud veteres populos fuisse quam nostris temporibus. Qua in re quae inter praesentem aetatem et medium aevum intercedit diversitas, e comparatione pretiorum inter Anglos consuetorum, quae in Hildebrandii libro de oeconomia publica [2]) exstat, perspici potest, neque multo maiore modo in medio aevo quam in antiquitate iactata esse videtur annona. Quod quamquam accuratis pretiorum indicibus probari nequit, tamen iam e Ciceronis in Verrem oratione patet. In ipsa enim Sicilia qui Verris temporibus binis fuit sestertiis tritici modius (III. 85, 186.), paullo ante vicenis fuerat (III. 92, 214.). Neque aliter Romae anno 544. quinis denis drachmis vendebatur medimnus, modius igitur denis sestertiis (Polyb. IX. 44.), cum hic nonnullos annos post quaternis assibus sive uno sestertio esset [3]). Atque etiam Augusto imperante, cum totius fere orbis terrarum commeatibus urbis annona sublevaretur, usque ad vicenos binos sestertios modii pretium in annonae caritate auctum est [4]). Nostris autem temporibus cum anno 1847. p. C. tota fere in Europa esset sterilitas frugum, nusquam teste eodem Hildebrandio l. l. frumentum pluris venditum est, quam quadruplo eius pretii, quod ante annonae caritatem vilissimum fuerat, in Britannia autem ne duplo quidem. Quam temporum discrepantiam,

---

1) Qua in re Niebuhrius quoque corrigendus est, qui cum putaret pretium a C. Graccho statutum semisses et trientes fuisse, hoc quartam fere partem pretii vulgo usitati fuisse dixit, (Vorträge über röm. G. II. p. 292.) quamquam iam anno u. 551. quatuor assium annona propter insolitam vilitatem a Livio commemoratur.

2) Hildebrand Nationalökonomie d. Gegenwart u. Zukunft Frkfrt. 1848. p. 193.

3) Liv. XXX. 26. XXXI. 4.

4) Eusebii Chronicon ed. Mai Ol. 198. p. Ch. 12.

cuius causas maxima ex parte haud obscuras hic exponere longum est, nisi animo teneamus, neque totius huius publicae curae neque legis Semproniae, ut qua primum haud exiguus frumenti numerus eodem semper pretio venditus sit, gravitatem perspicere possumus. Kuhnii autem argumento nos hanc ob causam non multum tribuere posse, neminem fugiet. At recte hic memorasse videtur, valde dubiam esse Mommsenii opinionem singulos cives ex hac lege sicut postea e Terentia Cassia omni mense quinos accepisse modios. Nam si Licinii Macri verba in oratione apud Sallustium[1]), quibus in exiguum frumenti modum lege Terentia Cassia statutum hic tribunus plebis invehitur, cum Ciceronianis comparamus, qui large a C. Graecho suppeditatum esse dicit plebi victum (Cic. pro Sestio 48. de offic. II. 21.), vix probabile videtur, quod Mommsenius opinatur, a consulibus M. Terentio et C. Cassio sicut pretium ita modum quoque frumenti e lege Sempronia esse receptum.

Nec tamen largitio tantum frumenti, sed praeterea etiam alia hac lege statuta esse videntur, quorum scriptores mentionem nullam faciunt. Nam quae apud Festum commemorantur Sempronia horrea, ea ad C. Gracchi legem frumentariam referenda esse iam alii[2]) viderunt eamque ob causam iure opinari licet, hanc legem praescripta quoque de comparando et condendo frumento continuisse.

Fuit lex frumentaria inter primas[3]) a C. Graccho latas neque dubito, quin ea sibi viam potius praeparare voluerit ad melius conformandam rem publicam, quam ipsam civitati salutarem esse existimaverit. Magno enim saepe fuerat impedimento Tiberio fratri, quod plebe urbana haud aeque fuit adiutus ac rustica, ita ut si propter agrorum culturam cives rustici, quod saepe fiebat, Romam venire

---

1) Sallust. hist. fragm. p. 974. ed Corte.
2) cfr. Odof. Muelleri notam ad Festum s. v. Sempronia horrea, pag. 290. edit. suae, Niebuhrium Vortrge etc. t. II. p. 292.
3) Nitzsch l. l. p. 451. seq.

non possent, ipse in urbe haud magna niteretur factione [1]. Lege autem frumentaria non solum totius plebis urbanae animos sibi conciliavit, sed etiam haud mediocriter eius vires auxit. Nam cum nonnisi Romae frumentum distribueretur (Mommsen l. l. p. 185.), multi cives Romani, qui per Italiam dispersi inopia premebantur, nunc in urbem se conferre coeperunt, quia largitionibus publicis recipiendis facilius victum sibi comparare potuerunt. Qui mos quantum postea ad magnam reipublicae perniciem percrebuerit, infra videbimus. Quae cum optimates nullo modo fugere possent, omni studio oppugnabant legem ipsorum praesertim causae perniciosam, qua non solum ab industria plebem ad desidiam avocari, sed etiam aerarium nimium in modum exhauriri contendebant (Cic. pr. Sestio 48, de off. II. 21.). Quae partium contentiones optime cognosci possunt ex narratiuncula a Cicerone nobis tradita in Tuscul quaest. III. c. 20. n. 48.[2]), quae probat ideo praesertim optimatum odia arsisse in hanc legem, quod aerarium tanquam sibi proprium vellent possidere, quippe cuius potestatem antea solus senatus habuisset.

Perlata hac lege eos qui postea popularis factionis causam egerunt, fugere non potuit, quam facile talibus illecebris ad suam voluntatem perducere possent plebem. Quare et S. Appuleius Saturninus et Livius Drusus leges tulerunt frumentarias annis u. c. 654. et 663. (ad Herennium I. 12, 21. Liv. epit. 71.), quarum tamen neutra non irrita

1) Nitzsch l. l. p. 305. et 322, Niebuhr Vortr. II. 28. 3.

2) «Et quidem C. Gracchus, cum largitiones maximas fecisset et effudisset aerarium verbis tamen defendebat aerarium. Quid verba audiam cum facta videam? Piso ille Frugi semper contra legem frumentariam dixerat. Is lege lata, consularis ad frumentum accipiendum venerat. Animadvertit Gracchus in concione Pisonem stantem. Quaerit audiente populo Romano, qui sibi constet, cum ea lege frumentum petat, quam dissuaserit. Nollim inquit, mea bona Gracche tibi viritim dividere libeat, sed si facias partem petam.«

facta est a senatu, quippe quae vi perlatae essent (Mommsen p. 181.). Neque quid novi voluerint instituere harum legum auctores nobis pro certo traditum est, nisi quod auctor ad Herennium, qui solus legis Appuleiae mentionem facit [1]), de semissibus et trientibus Saturninum legem rogasse dicit, unde Mommsenius collegit substitutos esse per hunc tribunum plebis legis Semproniae senis et trientibus semisses et trientes [2]). Sed quod iam Kuhnium offendit in eo ego quoque haereo, quod scriptor de hoc pretio nunquam re vera instituto tanquam de omnibus noto loquitur. Quam ob causam nescio an etiam hunc in locum „semissibus et trientibus" pro „senis et trientibus" a librariis tantum illatum sit et nihil aliud egerit Saturninus, quam ut pretium frumenti a C. Graccho statutum prorsus tolleret.

Neque solum hae leges quominus ferrentur prohibuerunt optimates, sed etiam ipsam Semproniam M. Octavius abrogavit, multoque parciorem instituit largitionem, quam Cicero „et reipublicae tolerabilem et plebi necessariam" nominat (de off. II. 21. Brut. c. 62.). Sed quae nos in horum temporum historia fere semper premunt fontium angustiae, eae et hic conspicuae sunt, ita ut praeter Ciceronis verba modo laudata nihil de hac lege comperiamus. Quare de eius tempore diversas in partes disputatum est eamque a. u. 634. perlatam esse Pighius, a. u. fere 663. Mommsenius (p. 181.), 680 Orellius [3]) Fischerus [4]), Walterus [5]) contendunt. Quorum Mommsenium rectissime iudicasse puto. Nam a. 676. legem Semproniam iam abrogatam fuisse M. Lepidi verba in Sallustii historiarum frag-

1) Rhetor ad. Her. I. I. «Cum Saturninus legem frumentariam de semissibus et trientibus laturus esset» etc.

2) p. 180. not. 10. «Offenbar liegt in der Substituirung — eine Art Demagogenwitz.»

3) index legum s. t. lex Octavia.

4) Roem. Zeittafeln. Altona 1846. p. 148. et p. 477.

5) R. Rechtsgesch. I. p. 357.

mentis [1]) probant neque Pighii coniectura ullo modo ferri potest, cum e Ciceronis Bruto (c. 62.) appareat legis auctorem aequalem fere fuisse P. Sulpicio tribuno plebi a. 666. Mommsenio autem ideo praesertim assentio, quia quod Cicero de exhausto aerario tanquam de causa abrogatae legis Semproniae dicit [2]), optime ad belli Italici tempora convenit, in quo magnam fuisse aerarii tenuitatem traditum est [3]). Qui legem tulit M. Octavius, Cn. F., is nunquam ad consulatum pervenit neque alias iterum memoratur, nisi fortasse idem est atque ille propraetor Octavius, cuius mentio fit in Liviano vel Sallustiano fragmento nuper reperto et a Pertzio primum publicato [4]). Cum enim in eo de anni 681. turbis sermo sit [5]), inter omnes Octavios, quorum memoria ad nos pervenit [6]), in legis frumentariae auctorem tantum hoc praeturae tempus congruit.

Paullo post legem Octaviam frumenti largitionem a Sulla prorsus sublatam esse Lipsius et Mommsenius suspicati sunt. Quod verumne sit, propter eam quam iam supra non potuimus non dolere fontium exiguitatem discernere vix possumus. Nam verba e Lepidi oratione apud Sallustium iam supra laudata, quibus solis horum virorum sententia nititur, ea ad legem Octaviam referri non posse, ideo demonstrari nequit, quia quanta hac lege relicta sit frumenti largitio ignoramus. Id tantum ex eis apparet Lepidi tempore aut nullas, aut perquam exiguas fuisse publicas frumentationes.

---

1) ed. Cort. p. 939. »Populos Romanus« — »ne servilia quidem alimenta reliqua habet.«

2) de offic. II. 21.: »C. Gracchi magna largitio; exhauriebat igitur aerarium.«

3) Orosius lib. V. c. 18. Cicero de lege agr. 29. 80.

4) Abhandl. d. kön. Acad. d. W. zu Berlin. 1847.

5) Quod Huschkius nuper contra Pertzium demonstravit (Zeitschrift für gesch. Rechtswiss. t. XV. p. 273.), qua ocasione etiam ostendit, hunc propraetorem Octavium formulae Octaviae auctorem esse.

6) E nobiliore huius gentis familia, quae ante Augusti patrem sola magistratibus curulibus functa erat. Sueton Octav. c. 1. 2.

Post Sullae autem mortem cum popularis factionis vires reviviscerent et fere omnia, quae huius viri tempore in optimatium commodum instituta erant, paullatim tollerentur, non potuit non fieri, ut mox etiam plebi urbanae tam large quam antea victus suppeditaretur. Quo tempore senatus et qui eius causam sequebantur prudenter se agere putabant, si quae instituta contra populi voluntatem se tueri nullo modo posse videbant, eorum abrogandorum ipsi ultro auctores fierent. Sic a Pompeio lex tribunicia, ab Aurelio Cotta iudiciaria lata esse videtur, eodemque consilio anni 681. consules M. Terentium Varronem et C. Cassium Varum frumentationes plebi restituisse puto [1]. Quo anno quia infestum habebant mare piratae, gravi premebatur urbs annona, ita ut Romae seditiones orirentur, quas senatus consulesque subita lege frumentaria sedare studuerunt. Qua lege pretium illud senerum assium et trientium denuo sanctum modusque frumenti, quem quisque civis omni mense acciperet, in quinos modios statutus est [2]. Ut autem tanta largitio fieri posset, iussum est in Sicilia frumentum emi. Cuius rei cura cum C. Verri demandata fuerit, qui in hac provincia per tres annos proximos praetor fuit, Ciceronis in hunc virum orationes de hac legis Terentiae parte non pauca nos docent; quae ideo magni momenti sunt, quia eis praesertim Kuhnius usus est, cum non sine acumine novam plane aperiret publicae curae annonae partem. Comperimus enim a Cicerone ex senatus consulto et e lege Terentia Cassia Siculis et alteras decumas imperatas esse

1) Quod optimatium consilium optime e Ciceronis verbis perspicitur de legibus III. c. 11. n. 26.: »sapientis autem civis fuit, causam nec perniciosam et ita popularem, ut non posset obsisti, perniciose populari civi non relinquere.«

2) Mommsen l. l. p. 182. 183. Sallust. hist. fragm, edit. Cort. 973 sq. in orat Licinii Macri: »Nisi forte repentina ista lege frumentaria munia vestra pensantur: qua tamen quinis modiis libertatem omnium aestumavere.«

et insuper etiam aliud frumentum, quod aequaliter ab omnibus civitatibus emeretur. Illius decumani fuerunt fere ad 3,000,000, huius emti 800,000 mod. Rom.[1]). Quae summa frumenti iam praeter solitas huius insulae decumas prorsus suffecit ad largitiones, quae tum Romae ex eadem lege Terentia institutae erant. Nam alio eiusdem orationis loco medimnum triginta tria millia menstrua prope cibaria plebis Romanae appellat[2]). Verum ut haec quinquaginta millia medimnum fuisse cum Kuhnio et Contarenio statuamus (annua igitur 3,600,000 mod. Rom.), tamen vix his publicis largitionibus absumptum esset emtum illud in Sicilia frumentum. Itaque cum etiam supersint et huius insulae et aliarum provinciarum decumae, quas item illo tempore ad urbem alendam collatas esse scimus (Kuhn l. l. p. 995—998.), necesse est eas alio modo, quam publicis largitionibus hunc in finem impensas esse. Quae cum ita sint suo iure Kuhnius collegit multisque aliis veterum testimoniis confirmavit, semper in urbe praeter largitionem, quae legibus demum frumentariis instituta est, magnas frumenti copias a magistratibus curae annonae praepositis vario quidem sed modico semper pretio venditas esse. Quod cum iam supra disserentes de publica cura annonae ante legem Sempronianiam agnoscere non dubitavimus, tum de eo tempore, quod nunc tractamus, post Kuhnii disputationem nihil habet dubii. — Haud aeque tamen certum videtur, quod idem vir contendit, id frumentum, quod plebi largiretur, Ciceronis quidem aetate semper coemtum esse, decumas autem provinciarum, quae Romam apportabantur, nunquam hunc ad finem impensas, sed partim ad exercitus alendos adhibitas, partim in urbe ex modo annonae venditas esse. Quam

1) Cic. in Verr. III. c. 70. cf. Kuhn. l. l. 1003.

2) Cic. in Verr. III. c. 33. n. 72. Sub cibariis procul dubio intelligens frumentum, quo plebs publice donabatur cf. Contareni de frum. largitione in Graevii thes. t. VIII. p. 951.

legem cur senatus sibi scripserit, nullo modo perspicitur. Nam cum decumis perquam diversae frumenti copiae provenirent [1]) neque exercitus Romani eodem semper modo commeatibus egerent, non potuit non fieri, ut quae uno anno necessaria esset emtio frumenti, alio prorsus supervacanea videretur. Neque quidquam certi ex argumentis, quae Kuhnius attulit, colligi licet. Nam etsi lege Terentia Cassia iussum erat emi in Sicilia id frumentum, quod plebi largiretur, inde minime sequitur, hoc semper usitatum fuisse. Quodsi vero Cicero largitionibus exhaustum esse dicit aerarium, potest quidem hoc factum esse emtionibus, quales lege Terentia Cassia statutae erant, verum haud minorem pecuniae iacturam fecit aerarium, si quae antea vendebantur decumae, nunc nullo fere pretio populo donabantur.

Iam vero aliud, quod multo gravius est, e Ciceronis verbis concludi licet, quot cives illo tempore publicum frumentum acceperint. Nam si menstrua cibaria plebis, ut supra cum Contarenio et Kuhnio statuimus, quinquaginta fere millia medimnum (300,000 mod. Rom.) fuerunt, cuique autem civi quini dabantur modii, circiter sexaginta millia hominum publicarum frumentationum participes fuerunt [2]).

Cum nulla alia lex frumentaria tam cognita nobis sit, quam haec Terentia Cassia, tum quid proxima constitutum coniectura tantum assequi possumus. Solus enim Plutarchus narrat anno 692 senatum in Catonis sententiam decrevisse, ut admitterentur pauperes cives, qui frumentum publicum non acciperent, ad largitiones publicas, inde aerario annuum sumptum tricenties sestertium ortum esse [3]). Qua in re

1) Cic. in Verr. III. 63. 147.: »Ut frumenta nata sunt, ita decumae veneunt.«

2) Contareni l. l. p. 962. Kuhn l. l. 1004.

3) Plutarchi vita Catonis c. 26.: *ὁ Κάτων φοβηθεὶς ἔπεισε τὴν βουλὴν ἀναλαβεῖν τὸν ἄπορον καὶ ἀνέμητον ὄχλον εἰς τὸ σιτηρέσιον ἀναλώματος μὲν ὄντος ἐνιαυσίου χιλίων καὶ διακοσίων καὶ πεντήκοντα ταλάντων.* vit. Caes. c. 8. Rei publ. gerendae praec. c. 24.

Plutarchum errasse et extra ordinem tantum a senatu largitionem aliquam frumenti semel factam esse Mommsenius contendit [1]). Attamen nescio an hauserit e fonte nequaquam ita spernenda Plutarchus, quippe qui accurate referat annuas impensas hoc senatusconsulto ortas. Itaque ne Waltero quidem assentire possum, qui abrogatum a Catone pretium senorum et trientium gratisque datum esse putat populo frumentum [2]). Nam et haec opinio minime cum Plutarcho convenit, atque accedit, quod Cicero in legem Clodiam, quae ex Walteri sententia nihil a senatusconsulto Catonico differebat, tanquam in reipublicae perniciosissimam invehitur; quod vix eum fecisse puto, si idem quod a Clodio iam paucis annis ante ab ipso senatu factum esset. — Quantum ego opinione auguror, nam hic ad certitudinem pervenire vix possumus, nihil aliud a senatu decretum est, quam ut supplerentur tabulae censoriae, quibus in distribuendo frumento aediles usi esse videntur (Mommsen p. 184. 188.). Cum enim post annum 684 u. census non esset habitus, non potuerunt in his tabulis anno 692. multorum civium nomina non desiderari. Omnes autem cives ad largitiones publicas admitti et fortasse etiam in certum album eorum nomina referri senatus consilio Catonis iussisse videtur [3]), quod Plutarchus verbis ἀναλαβεῖν τόν ἄπορον καὶ ἀνέμητον ὄχλον ἐς τὸ σιτηρέσιον parum accurate quidem sed non omni ex parte falso significavit. Ceterum eo tantum consilio huius senatus consulti auctorem exstitisse Catonem, ab eodem scriptore comperimus, ut plebis animos a Caesare alienaret, qui illo ipso tempore praetor magnum timorem et metum optimatibus incutiebat.

Nec tamen diu senatus hac opportunitate fruebatur, ut ipse sibi frumentationibus plebem urbanam conciliaret. Nam

---

1) l. l. p. 182. n. 17.
2) R. Rechtsgesch. I. p. 357.
3) Idem fecit postea Pompeius, cum praefecturam annonae iniret. cf. Dio C. 39. 24., Mommsen p. 183. 184.

mox eum liberalitate P. Clodius in tribunatu suo multum superavit, qui exiguum illud pretium, quo frumentum publicum distribuebatur lege sua frumentaria prorsus sustulit[1]). Quod quanti fuerit momenti a Cicerone discimus, qui hac lege quintam prope partem vectigalium sublatam esse dicit. Neque hoc sufficiebat Clodio, sed ut plebem urbanam etiam postea sua in manu teneret, P. Clodium totius annonae curae praefecit. Sed cum hic divitias tantum in hoc munere quaereret, quippe qui acriter tum a creditoribus urgeretur[2]), mox summa fames et inopia in urbe orta est, quae non cessit nisi tradita Pompeio per legem Corneliam Caeciliam totius rei frumentariae in Italia et omnibus provinciis cura[3]). Qui vir primum perspexisse videtur, quanti momenti esset annonae cura iis, qui Romae summam omnium rerum dominationem appeterent eumque praesertim imitati sunt hac in re, qui postea soli tenuere imperium. Itaque Plinius Traiani de re frumentaria merita laudibus efferens eum cum Pompeio comparat, cui cura annonae „aliquando non minus addidit gloriae quam pulsus ambitus

1) Ascon. in Pis. p. 9. Schol. Bob. in orat pr. Sestio p. 301. Cic. pr. Sestio c. 25. 55. Quae autem apud Dionem lib. XXXVIII. c. 13. de hac lege exstant verba ea corrupta esse mihi persuasum est, quamquam fatear oportet, me quidem non habere, quo ea ita restituam, ut dubitationis nihil reliquum mihi videatur. Perhibent enim ibi omnes codices et editiones hanc scripturam »ὁ οὖν Κλώδιος ἐλπίσας — τόν τε σῖτον προῖκα αὖθις διένειμε (τὸ γὰρ μετρεῖσθαι τοῖς ἀπόροις τοῦ τε Γαβινίου ἤδη καὶ τοῦ Πίσωνος ὑπατευόντων ἐξηγήσατο“ etc. In quibus cum iam particula αὖθις offendat (nam non cognita est altera lex, in quam hoc αὖθις cadere posset), tum vero prorsus inepta videtur parenthesis „τὸ γὰρ — ἐξηγήσατο,« quia omnia quae in his capitibus de Clodii tribunatu a Dione narrantur Gabinio et Pisone coss. acta sunt.

2) cf. Drumann Gesch. Roms t. II. p. 238.

3) De inclita hac fame cf. Drumannum l. l. p. 304., qui non dubitat, quin consulto a Pompeio annona compressa sit. Ceterum Cicero, Clodius, Pompeius sibi mutuo huius rei culpam attribuerunt.

campo, exactus hostis mari" etc. (Panegyr. c. 29.). Ceterum recte iam observavit Mommsenius in publicarum largitionum dispositione Pompeii praefectura nihil esse mutatum. Quantum autem hoc tempore cura annonae ambitum habuerit, iam inde videmus, quod Pompeio pro adiutoribus quindecim senatores dati[1]) statimque ex aerario quadringenties sestertium decreta sunt[2]), atque etiam clarius hoc perspiciemus, si quae in provinciis hunc in finem Romani constituerint exanimabimus.

Antequam autem ad alia transeamus, operae pretium erit breviter explorare, quanta mala et Romae et tota fere in Italia ultimo liberae reipublicae saeculo e magnis his frumentationibus orta sint. Et illud quidem iam supra me demonstrasse puto, provinciarum subvectionibus frumenti culturam in Italicis praesertim in urbi adiacentibus agris deminutam esse. Sed multo etiam maius detrimentum ea ceperit oportet, cum Romae vilissimo pretio frumentum distribueretur provinciarumque collationes in dies crescerent, neque publicis tantum largitionibus plebi victus suppeditaretur, sed creberrime etiam privati et frumentum et pecuniam civibus largirentur[3]). Ita factum est, ut iam non solum cultura frumenti cessaret[4]), sed frequentes ipsi agricolae agros desererent, seque in urbem conferrent, ubi et largitionibus et venditis suffragiis, dummodo civitatem Romanam possiderent, facile, quae ad vivendum eis erant necessaria, sibi comparare poterant. Quae prava consuetudo

---

1) Cic. ad. Att. IV. 1., cum quo non consentit Appianus, qui de viginti senatoribus loquitur. d. bell. c. II. 18.

2) Cic. ad Quintum fratr. II. 5.

3) Sall. Cat. 37. Cic. in Verr. III. 92. 215. de offic. II. 17. Plin. XV. 1.

4) Quoniam frumenta iam rarius in Italia colebantur, eo magis prospexisse videtur senatus vitium et olearum culturae Cic. d. rep. III. 9.: »Nos vero iustissimi homines, qui Transalpinas gentes oleam et vitem serere non sinimus, quo pluris sint nostra oliveta, nostraeque vineae.«

praesertim convaluit, cum finito Italico bello omnes socii civitatem accepissent, ita ut restitutis lege Terentia Cassia frumentationibus ab anno 684. usque ad a. 708. numerus frumentum publicum accipientium a sexaginta millibus (v. s. p. 16.) ad trecenta viginti millia cresceret[1]) (Suet. Iul. Caes. 41.). Itaque nemo miretur scriptorum, qui hoc tempore vixerunt, de hac re querimonias[2]), cum etiam Augustus, qui ipse „pellexit annona populum“[3]), dixisse fertur, se consilium cepisse in perpetuum abolendi frumentationes, „quod earum fiducia cultura agrorum cessaret“ (Sueton. Octav. 42.). Sed vix tantum inde cepit detrimentum agrorum cultura, quantum tota respublica ex hac plebe urbana in dies crescente. Nam non solum pauperes cives ex aliis terris Romam largitionibus trahebantur, sed etiam servi a dominis frequentes manumittebantur, ut frumentationum publicarum participes fierent[4]). Quantum autem contulerit

1) Haud eadem ratione aucti esse videntur sumptus in publicam annonae curam facti. Qui cum iam anno 684. centiens essent et viciens fere sestertium (Cicer. in Verr. III. 70. et Kuhn l. l. 1003.) post senatus consultum Catonicum fuerunt tricenties (cf. s. p. 16.), Pompeii autem praefectura quadringenties sestertium. Hoc nescio an eo explicandum sit, quod cum ex lege Terentia omne frumentum ad has largitiones emeretur, postea decumae magna ex parte in hunc usum conferebantur.

2) Sallust. Cat. 37.: — »iuventus quae in agris manuum mercede inopiam toleraverat, privatis atque publicis largitionibus excita, urbanum otium ingrato labori praetulerat.« cf. Varro de re rust. II. 3.: »Igitur quod nunc intra murum fere patres familiae correpserunt relictis falce et aratro et manus movere maluerunt in theatro et in circo, quam in segetibus ac vinetis, frumentum locamus, qui nobis avehat, qui saturi fiamus ex Africa et Sardinia.« Appian b. c. II. 120.

3) Tacit. Ann. I. 2. quae verba perperam Mommsenius de Iul. Caesare accepit.

4) Dionys. Hal. N. c. 24.: »οἱ δὲ (manumittuntur), ἵνα τὸν δημοσίως διδομένον σῖτον λαμβάνοντες καὶ εἴ τις ἄλλη παρὰ τῶν ἡγουμένων γίγνοιτο τοῖς ἀπόροις τῶν πολιτῶν φιλανθρωπία, φέρωσι τοῖς δεδωκόσι τὴν ἐλευθερίαν« cf. Dio Cass. XXXIX. 14.

haec multitudo ad libertatis Romanae excidium, nec nostrum est hic exponere, nec cuiquam horum temporum historiae aliqua ex parte gnaro ignotum est.

CAPUT III.

De constituta per Iul. Caesarem et Augustum frumenti largitione.

Quo tota fere Romanorum legislatio saeculo septimo u. c. ferebatur partium studio, ex eo etiam leges frumentarias ortas esse modo vidimus. Cui cum finem imposuisset Iul. Caesar, et ipse et qui eum in summo rerum imperio secutus est Augustus ut multa alia in republica, ita etiam frumenti largitionem certis legibus constituerunt. Qua in re imprimis Caesarem id egisse apparebit, ut harum largitionum abusum etsi non prorsus tolleret, tamen quoad posset coerceret. Quem finem quomodo assequi conatus sit, ex Suetonii praesertim verbis perspicitur, quae in Caesaris vita c. 41. leguntur: „Recensum populi nec more nec loco solito, sed vicatim per dominos insularum egit, atque ex viginti trecentisque millibus accipientium frumentum e publico ad centum quinquaginta retraxit. Ac ne qui novi coetus recensionis causa moveri quandoque possent, instituit quotannis in demortuorum locum ex iis qui recensiti non essent, subsortitio a praetore fieret [1]).“ Magnam hanc deminutionem civium frumentum publicum accipientium cum civitatis strenuo examine [2]), tum vero octoginta millibus

1) Liv. epitom. 115. »Recensum egit (Caesar), quo censa sunt civium capita centum quinquaginta millia.« Dio Cassius XLIII. 21.

2) Dio Cassius l. l.

civium in transmarinas colonias distributis [1]) assecutus esse videtur. Qua ratione cum plebem urbanam ad dimidiam partem redegisset, etiam cautum a Caesare vidimus, ne iterum servorum manumissionibus et civium ex aliis terris concursu nimium in modum ea cresceret. — Qua de re non solum Suetonii verba, quae interprete non egent, sed etiam aliud nobis servatum est testimonium, de quo admodum inter se dissentiunt viri docti. Tabulas dico Heracleenses, in quarum prima lin. 1—19. professiones praecipiuntur eorum, quibus frumentum publicum dari vetatur. Quae ibi praescribuntur, ea ad Suetonii locum modo laudatum et Caesaris de re frumentaria praecepta referenda esse, Savigny primus vidit, existimans constitutas esse in hac tabula professiones locupletum, quos Caesar inter frumentum accipientium numerum non recepisset [2]). Cum autem non probabile sit rei familiaris rationem a Caesare esse habitam in largiendo frumento [3]) atque mirum videatur eorum professiones esse praeceptas, qui frumentum accipere non deberent, praeferendam esse puto Mommsenii interpretationem, qui de professionibus non recensitorum civium in hac tabula agi contendit, e quorum numero subsortitio in locum demortuorum fieri debebat. Quam sententiam nuper Goettlingius impugnavit, cum denuo ederet tabulas Heracleenses [4]). Refelli eam dicit Suetonii verbis „non recensiti,“ quibus aperte probari putat civium, qui frumentum non accipiebant, nomina non esse illata in certas indices. Quod autem ex Suetonii loco nulla ratione colligi potest. Nam qui ibi vocantur non recensiti, recensionis tempore aut cives Romani nondum erant, aut Romae nondum ha-

---

1) Suet. Iul. Caesar. c. 42.

2) Zeitschrift für geschichtl. Rechtswissenschaft vol. XI. 1842. p. 50.

3) cf. quae de hac re disputarunt Mommsen l. l. p. 187, 88. Rein in Pauly Realencyklopädie vol. IV. s. t. Largitio.

4) Göttling, Funfzehn röm. Urkunden 1845. p. 66 sq.

bitabant, postea autem ius frumenti accipiendi adepti sunt. Ex quibus si subsortitio fieri debebat, quid potuit esse simplicius, quam quod ipsi sua nomina profiterentur eaque in tabulas referrentur. Verum alia quoque protulit Goettlingius, quibus non solum Mommsenii interpretationem improbari, sed etiam demonstrari putat haec tabulae Heracleensis praecepta omnino Caesaris tempore non esse conscripta. Cum enim nulla comitia annis 708. et 709. a Caesare habita esse Suetonius dicat (Iul. Caes. c. 76.), illis annis hanc legem latam esse non posse argumentatur, nec tamen in annum 710. eam quadrare, quippe in qua aediles Cereales a Caesare rei frumentariae praepositi non commemorarentur, itaque omnino ad huius viri instituta eam non referendam esse. Cui ratiocinationi assentire nullo modo possum. Nam leges multas his ipsis annis 708. et 709. a Caesare latas esse Dio [1]) diserte tradit, neque ipse Goettlingius de lege Iulia municipali anni 709. dubitat (l. l. p. 61.), itaque mihi vix ambiguum videtur Suetonii verba de comitiis magistratuum creandorum causa habitis accipienda esse, cum etiam in eis, quae antecedunt, scriptor de creandis tantum magistratibus locutus sit [2]).

Prorsus tamen probandum mihi videtur, quod Goettlingius de nota V٩. lin. 4. nostrae tabulae dicit, quam viduam pupillam significare recte vidit (l. l. p. 63. 64.). Qua re non paullum adiuvamur ad clarius perspiciendum, quinam frumenti accipiendi ius illo tempore habuerint, id quod ad recte iudicandam plebis urbanae magnitudinem magni momenti est. Et illud quidem nunc tabulae Heracleenses aperte demonstrant non patres familias tantum,

---

1) XLIII. 25.: »ταῦτα τε ἅμα ἐπράττετο καὶ ἐνομοθεῖτο πολλά.«

2) »Tertium et quartum consulatum titulo tenus gessit, contentus dictaturae potestate — atque utroque anno binos consules substituit sibi in ternos novissimos menses, ita ut medio tempore comitia nulla habuerit prater tribunorum et aedilium plebis.«

sed etiam viduas, pupillos, pupillas contineri frumentum accipientium numero, quippe quorum professiones hac lege diserte praescriptae sint (lin. 4.). Neutiquam autem inde cum Dirksenio[1]) colligi potest, sexus rationem omnino in largitionibus non habitam esse, quod cum iam per se pro Romanorum moribus probabile non sit, etiam cum aliis veterum testimoniis non congruit[2]). Quae cum dubitationem fere nullam habeant, iam multo difficilius est iudicium de filiis, qui sub patria erant potestate, quos aeque ac mulieres a frumentatione exclusos fuisse Mommsenius opinatur (p. 193. n. 46.). Iuris autem trium liberorum fortasse in distribuendo frumento rationem habitam esse putat et patribus familias maiorem quam caelebibus datum esse frumenti modum. Sed cum ipse Mommsenius demonstraverit (p. 191. 193.), congiaria ab imperatoribus saepe populo data accessiones tantum fuisse ad menstruas frumenti largitiones, haud probabile est in illis aliam fuisse dividendi rationem, quam in publicis frumentationibus. Quod cum Mommsenium non fugeret, attulit e Dione (LX. 15.) exemplum, ubi Claudius aliis civibus alias dedisse pecuniae summas narratur. Sed ne tum quidem ius trium liberorum Claudius spectasse videtur neque inter tot congiaria a Dione enumerata[3]) ullum aliud exstat, in quo non eadem omnibus civibus data sit pecuniae summa[4]). Neque mihi persuasum est filios familias largitionum expertes fuisse. Cum enim suae opinionis nullum attulerit Mommsenius argumentum, nescio quo iure id quod Suetonius (Oct. 41.) et Dio Cassius (LI. 21.) narrant, Augustum ne minores quidem pueros in

---

1) Bemerkungen über die erste Hälfte der Tafel v. Heraclea, civil. Abhandlungen tom. II. p. 183 sqq.

2) Rein in Pauly Realencyklop. IV. cf. Dosithei Adrian. sentent. §. 14.

3) LI. 1.; LIII. 28.; LIV. 29.; LIX. 2.; LXX. 32.; LXXVI. 1; LXXVIII. 34.

4) Plinius (paneg. 25. 26.), quem item Mommsenius laudavit, non de publica frumenti largitione, sed de pueris alimentariis loqui videtur. cf. Henzen de tabula alim. Baebianorum Rom. 1845. p. 21.

largitionibus transiisse, cum antea nonnisi ab undecimo aetatis anno accipere consuessent, de pupillis tantum acceperit.

De aliis Caesaris hac de re institutis nihil nobis traditum est, nisi quod anno 710. curam annonae novo tradidisse narratur magistratui, aedilibus scilicet cerealibus ab ipso institutis [1]) (Pomponius de orig. iuris §. 32. (Dig. I. I. t. 2.) Dio Cass. XLIII, 51.).

Attamen Mommsenius opinatur a Caesare legem Clodiam abrogatam esse et inde ab hoc tempore plebi frumentum non amplius gratis datum, sed modico semper pretio venditum esse. In singulis autem tribubus certum tesserarum numerum simul cum pretio, quod publico frumento statutum esset, pauperibus civibus esse distributum putat. Sed doleo ne hac quidem in re me cum viro praestantissimo facere posse. Primo enim in his offendit nusquam pauperum, qui soli gratuitum accepere frumentum, a veteribus scriptoribus mentionem factam esse, cum contra de plebe frumentaria (ὁ ὄχλος σιτοδοτούμενος) saepissime loquantur, quamquam haec pro Mommsenii opinione perparvam tantum frumentationem, quae largitio vix dici potest, accipiebat. Quam exiguus enim frumenti modus cuique civi datus sit, inde cognoscitur, quod Augustus magna quondam in fame eum dupplicasse, inopiam autem plebis nullo modo levasse [2]), alioque tempore vel quadruplum eius modi, quem vulgo plebs accipiebat, distribuisse narratur [3]). Itaque mirum certe videri potest pro parvo hoc frumenti numero a plebe frumentaria pretium etiam solutum esse, quod non multum distabat ab eo, quo negotiatores vendebant. Hoc enim ipse Mommsenius inde collegit, quod a Nerone usque ad ternos nummos minutum esse frumenti pretium Tacitus narrat

1) Lex Iulia de annona utrum a Caesare an ab Augusto lata sit, dubium est. Statuit ea graves multas in eos, qui annonam attentarent et vexarent cfr. Rein Criminalrecht d. Römer p. 829. 830. eundemque in Pauly Realencyklop. t. IV. p. 982.

2) Dio Cassius LV., 26. 3) Dio. C. LIII. 2.

(Annal. XV, 39.). Quae autem ut suam sententiam probaret attulit, ea facile alio modo explicantur, dummodo teneamus, quae a Kuhnio demonstrata esse in priore capite vidimus, magnas tritici copias etiam praeter menstruam largitionem frumenti vario sed modico semper pretio in urbe publice venditas esse. Quae consuetudo haud dubie etiam sub imperatoribus perduravit, ac de ea recte mihi Kuhnius accepisse videtur cum id, quod supra e Tacito commemoravimus, pretium frumenti a Nerone statutum, tum Suetonii verba, Augustum in annonae difficultatibus saepe levissimo interdum nullo pretio frumentum viritim admensum esse (Octav. 41.). Neque illud offendere potest, quod modicam annonam plebs saepe flagitasse narratur, cum gratuitam largitionem eius victui nequaquam suffecisse modo viderimus.

Quod inter Caesaris instituta maximi fuit momenti, certus ab illo constitutus frumentum accipientium numerus, haud diu observatum est. Paullo post eius mortem congiarium ab Augusto datum pervenit ad ducenta quinquaginta millium hominum annoque 749. plebs urbana usque ad trecenta viginti millia creverat[1]. Quod incrementum cum pueris ab Augusto ad largitionem admissis, tum servorum manumissionibus et civium confluxu exortum esse videtur, quos omnes magna liberalitate usus Augustus a publicis largitionibus non exclusit. (Dion. Halic. IV. 24. Sueton Oct. 42. Philo legat. ad Caes. ed. Frankf. p. 1015.). Postremis autem vitae suae annis prorsus Caesaris hac de re instituta revocasse videtur ac postquam recensu habito (Suet. c. 41.) numerum plebis urbanae usque ad ducenta millia minuerat, eodem modo quo Caesar vetuisse videtur, ne is in posterum excederetur. Quod mihi sequi videtur e Dionis verbis l. LV, 10. (anno 752.) „τό τοῦ δήμου τοῦ σιτοδοτουμένου πλῆθος ἀόριστον ὄν ἐς εἴκοσι μυριάδας κατέκλεισε.“ Quae

1) Monumentum Ancyranum tab, III. a laeva et de eo Mommsen l. l. p. 190, 191.

cum ita essent non potuit non fieri, ut paullatim plebs urbana civium frumentum publicum accipientium numerum superaret neque amplius urbana ac frumentaria plebs idem significarent. Quare Augustus in monumento Ancyrano postquam priora sua congiaria, quae ante annum 752. dederat, ad plebem urbanam pervenisse narravit, ultimum »plebi, quae tum frumentum publicum acceperunt« se dedisse dicit. Neque quod sciam proximis saeculis hic rerum ordo iterum immutatus et sicut antea cuique civi frumentum datum est. Nam cum Severus plebi frumentariae et cohortibus praetorianis congiarium daret, hoc ducenta millia hominum acceperunt [1]), ita ut frumentum accipientium numerus idem esset ac sub Augusto, nisi quod Severo imperatore hoc numero milites praetoriani comprehendebantur, qui a Nerone demum [2]) ad gratuitam frumenti distributionem admissi erant. Mommsenius quidem detractis de hoc numero quadraginta millibus praetorianorum invenisse sibi videtur civium Severi tempore Romam incolentium numerum, ita ut hic ab Augusti aetate haud exiguo modo minutus esset. At non solum talis deminutio parum probabilitatis habet, sed etiam auctos esse continuo urbis incolas usque ad Maximini tempora, haud temere Bunsenius opinatur [3]).

Cum in hac plebe frumentaria distributio frumenti per tringinta quinque tribus fieret, eam ipsam saepe simpliciter »tribus« nominatam esse, Mommsenius demonstravit [4]). Ab his autem plebis frumentariae tribubus parum probabili modo pauperum gratuito frumentum accipientium civium corpora, quae item tribus appellata essent, distinxit. Neque enim huius rei testimonium afferri potest, quod pauperes ab huius temporis scriptoribus interdum tribules nominantur. Nam

1) Dio Cass. LXXVI. 1. 2. et Contareni l. l. p. 966. Mommsen p. 192.
2) Sueton. Nero. c. 10. Tac. Ann. XV. 72.
3) Beschreibung der Stadt Rom I. p. 185.
4) cfr. de hac tribuum significatione Casaubonum in commentariis ad Suetonii Octav. c. 101.

etiamsi locupletes, nisi senatores et equites fuerunt [1]), a publicis frumentationibus legibus non prohibebantur, tamen pro certo habere possumus, nullos cives, qui aliquam rem haberent, huius largitionis participes et in plebis frumentariae tabulas incisos fuisse. Quam ob rem iam lege Sempronia, qua nullum civem a largitionibus exclusum esse consentaneum est, pauperibus (τοῖς πένησι) frumentum datum esse, Plutarchus [2]) dicit eodemque modo Martialis aliique scriptores [3]) de plebis frumentariae civibus, quos tribules appellat, tanquam de pauperibus tantum loquuntur.

Itaque nos ex hic plebis frumentariae tribubus derivanda etiam putamus illa eiusdem nominis corpora, quorum posteriore tempore saepius mentio fit, quo ius frumenti accipiendi et venale et hereditarium factum esse Mommsenius luculenter probavit. Nam cum antea singulae tantum tesserae, pro quibus menstruas frumenti portiones cives accipiebant, interdum venditae esse videantur (Iuven. VIII. 171.), demortuorum autem in plebe frumentaria loca aut per subsortitionem, sicut a Caesare institutum vidimus, aut alio quodam modo per magistratus ad alios cives deferrentur, postea non solum singulae tesserae, sed etiam ius frumenti publici accipiendi, quod per verba »tessera« et »tribus« significabatur, a possessoribus et vendi et heredibus relinqui potuit[4]).

Sed ut ad Augusti tempora redeam, pauca tantum sunt addenda de distributionis modo, quippe de quo iam alii ita egerint, ut dubii fere nihil relinquerent. Et illud quidem satis notum tesseras frumentarias distributas esse ad porticus Minuciae ostia [5]), quorum tot iam rex Servius instituisse dicebatur [6]), quot annos regnasset. Pro his tesseris

1) Mommsen l. l. p. 193. n. 43. 2) C. Grachus cap. 5.
3) Martial IX. 50. 58 Plin. h. n. XIX. 4. cfr. Mommsen l. l. p. 191. n. 164.
4) Mommsen l. l. 198—201. 5) Becker R. Alterth. I. p. 621 Henzen l. l. p. 23.
6) Mommsen üb. d. Chronographen v. J. 354. Abhndlgn d. phil. hist. Classe d. Leipziger Ges. d. Wissensch. 1850. 1. B.

e publicis horreis ratum quisque accepit frumenti modum. Quid autem illae nummariae tesserae fuerint, quae semel tantum a Suetonio [1]) commemorantur, valde adhuc ambiguum est. Walterus[2]) de pecuniae largitionibus, quas pauperes cives accipere consuessent, cogitavit. Sed cum de his nusquam alias nobis traditum sit neque mihi Suetoniüs de alia re quam de frumentaria largitione loqui videatur, huic sententiae accedere nequeo. Nec tamen Mommsenio assentior, qui de gratuito frumentum accipientium civium tesseris hic sermonem esse putat, quippe cuius totam gratuito et non gratuito accipientium distinctionem non comprobaverimus. Quam ob rem nescio an nihil intersit inter has nummarias tesseras et frumentarias. Nam quod huic sententiae obstare videtur, quod Augustus eas duplicasse narratur in annonae difficultatibus, facile expediendum est, dummodo statuamus eum non ideo hoc fecisse, ut duplex civium numerus frumentum acciperet, sed ut cuique civi duplex daretur frumenti modus Quod confirmari puto Dionis verbis LV. 26. „ἐπέδωκε γὰρ καὶ προῖκα ὁ Αὔγουστος τοῖς σιτοδοτουμένοις τοσοῦτον ἕτερον ὅσον ἀεὶ ἐλάμβανον.

De praefectis frumento dando [3]), qui ab Augusto distribuendo frumento praepositi sunt et de munere praefecti annonae [4]) ab illo instituto sufficit eos viros laudare, qui de his tam docte quam sagaciter egerunt.

Ceterum largitio frumenti sicut liberae reipublicae temporibus parva tantum pars fuit totius curae annonae. Nam non solum ad eam erat comparandum frumentum praefecto annonae, sed omni ope et ratione id agendum, ut omnes cives modica uterentur annona. Atque etiam ipsos impe-

---

1) Octav. c. 41. «Frumentum quoque in difficultatibus annonae saepe levissimo interdum nullo pretio viritim admensus est, tesseràsque nummarias dupplicavit.“ 2) Roem. Rechtsgesch. I. p. 359.

3) Contareni l. l. 970. Lipsius, Admiranda II. 10.

4) Böcking ad. Notit. dignitatum II. p. 177. seqq. Rein in Pauly Realencyclopädie VI. p. 9. sq.

atores ad haec negotia saepe animum convertisse omnesque fere hanc rem magnum habuisse firmamentum imperii, satis notum est.

Quem finem quomodo variis modis, praesertim convehendo ex omnibus imperii partibus frumento, assequi conati sint, in proximo capite explorabimus.

CAPUT IV.

De provinciis frumentariis frumentoque ex iis Romam invecto.

Quas iam saeculo sexto urbis c. Romam quotannis comportatas vidimus Siciliae, Sardiniae et Corsicae decumas, ut his urbs propagatis imperii finibus carere posset, tantum ab fuit, ut cum Sex. Pompeius has insulas teneret, mox maxima fame Roma premeretur [1]) neque alia conditione eas postulante plebe Pompeio Octavius concederet, quam ut quotannis ex eis in urbem mitteret *τόν ἐκ πολλοῦ τεταγμένον αὐταῖς φέρειν σῖτον* [2]). Neque quod rationem attinet, qua frumentum ex his insulis exigebatur, video cur in ea primis post C. n. saeculis, quae in tota hac disputatione excedere nolo, quidquam mutatum esse statuam. Nam quod Huschkius contendit Sardiniae pro decumis postea septimas esse indictas, nescio quo nitatur [3]). Quam autem Savigny proposuit sententiam, in omnibus provinciis ab Augusto imperatore usque ad M. Aurelium frugum decumas

---

1) Velleius lib. II. 77. Liv. epit. 127.
2) Appian. b. c. u. 72. cfr. Dio C. XLVIII, 34.
3) Huschke Census u. Steuerverfassg. d. frh. röm. Kaiserzeit p. 25. n. 52. In locis quidem ab illo laudatis (Hirtius de b. Afric. 98. Hygin de lim. const. p. 198. ed. Goes.) nihil eius modi continetur.

paullatim in pecuniae tributa conversas esse [1]), eam et ipse iam vidit in Aegyptum non quadrare [2]) et de aliis quoque terris Huschkius refutavit [3]). Accedit etiam nunc, quod verba Hygini gromatici p. 198. ed Goes., quibus gravissimum argumentum nititur, quod Savigny attulit, nequaquam „nunc multi pecuniam" sed e Lachmanni recensione p. 205. „alii pecuniam" scribenda sunt, ita ut ex eis quidquam de conversione decumarum in pecuniam colligi nequeat. — Neque amisisse Siciliam et Sardiniam ubertatis laudem Lucani versus testantur Phars. III. v. 65. sqq. „Utraque frugiferis est insula nobilis arvis" etc., quamquam magnitudine tributi frumentarii iam multum superabant has insulas aliae provinciae, inter quas primo loco nominanda est Africa. Cuius terrae cum magna pars post tertium bellum Punicum provincia esset facta Romana, aliis civitatibus teste Cicerone certum pecuniae vectigal est impositum, quod stipendiarium dicebatur, aliae autem sunt decumanae factae [4]). Quarum decumae Romae a censoribus vendebantur et postea quidem ita ut mancipes ipsi frumentum Romam mittendum curarent [5]). Sed in prima saeculi septimi parte vix multum inde urbi redundasse fructus puto, quia et agrorum Africanorum cultura belli Punici locustarumque magnis devastationibus multum a priore virtute desciverat [6]) et in ipsa provincia, quippe quae continui fere belli sedes esset, a Romanorum exercitibus magnae frumenti copiae consumebantur. Sed iam Cicero in oratione pro imperio Pompeii cap. 12. eam cum Sicilia et Sardinia „tria frumentaria subsidia reipublicae" nominat atque paullo post tributum frumentarium, quod haec

---

1) Savigny roem. Steuerverfassg., verm. Schriften t. II. p. 99—102.

2) l. l. p. 165. 3) l. l. p. 22—26. p. 85.

4) Cic. in Verr. III. 6. pro Balbo 9, 18. cfr. Rudorff d. Ackergesetz d. Sp. Thorius, Ztschrft f. gesch. Rechtswissensch. vol. X. p. 95.

5) Varro de re rust. II. 3.: „frumentum locamus, qui nobis ad vehat, qui saturi fiamus ex Africa et Sardinia."

6) Rudorff l. l. p. 98.

provincia solvebat, haud mediocriter etiam auctum est e terris a Iulio Caesare expugnatis, quas solas quotannis praestare 200,000 medimnum (1,200,000 mod. Rom.) Caesar praedicavit,[1]). Ita factum est ut Flavii Iosephi tempore sicut Aegyptus ita Africa quoque quotannis per quatuor menses urbem Romam tributo suo frumentario aleret. Et multi quidem haec Iosephi verba (de bello Iudaico II. 16.) ita acceperunt, ut ex sola provincia Africa octo mensium victum urbi suppeditatum esse putarent [2]). Sed cum hic scriptor τὴν τρίτην τῆς οἰκουμένης μοῖραν — ὁριζομένην Ἀτλαντικῷ τε πελάγει καὶ στήλαις Ἡρακλείοις καὶ μέχρι τῆς Ἐρυθρᾶς θαλάσσης τοὺς ἀπείρους νέμουσαν Αἰθίοπας — octo mensium, Aegyptum autem solam quatuor mensium tributum urbi praebere dicat, ssquitur ut provincia Africa eandem fere summam contulerit quam Aegyptus. Atque ut iam ad hanc terram transeam frugum fertilitate per totam antiquitatem celeberrimam, eam omnium frugum quintam partem ut antea regibus suis sic Romanis quoque solvisse Orosius tradit (I. 8.) Cum autem alias etiam de tributo pecuniario ab Aegyptiis exacto sermo sit, de parte tantum agrorum vectigal frumentarium, de aliis autem pecuniarium solutum esse Rudorffius [3]) et Vargesius [4]) contra Orosii testimonium contenderunt. Cum quibus non consentit Huschkius, qui utrumque vectigal ab omnibus agris exactum esse putat [5]). Sed quamquam pecuniam, de eo tantum agrorum pretio, quod deducto quintarum vectigali restabat, solutum esse putat, tamen nescio an ita non plus vectigalium exactum esset, quam quod vel fertilissima provincia ferre posset. Nam praeter haec soli etiam capitum tributa in Aegypto non defuisse, a quo nemo Aegyptiorum liber erat, in con-

---

1) Plutarch, Caesar. c. 55.

2) Contareni l. l. p. 971—972. Rudorff l. l. p. 180. Walter l. l. I, p. 395. n. 51.

3) Rheinisches Museum II. 1828. p. 134.

4) de statu Aegypti p. 56, 57. 5) l. l. p. 129.

fesso est [1]. Quam ob rem mihi ceteris praeferenda videtur Walteri sententia, qui duo tantum statuit tributorum genera, alterum in singula capita impositum, alterum quintam omnium frugum partem [2]. Utcunque autem haec res se habet, de eo quod nobis gravissimum est, nemo adhuc dubitavit, quin magnum frumenti tributum ex Aegyptiis agris exactum sit. Quod ut augeret, Augustus, ut primum hanc provinciam imperio suo adiunxerat, omni ope egisse videtur. Itaque fossis purgandis et effodiendis effecit, ut quam plurimi agri quotannis a Nilo inundarentur [3], atque etiam legibus tum cautum esse videtur, ne aliae fruges potius, quam frumenta in Aegypto colerentur [4]. Quae cum ita essent potuerunt tum urbi ex hac provincia annua ducenties centena millia mod. Rom. (circ. 3,100,000 med. Berol.) inferri [5] et praeterea ex his vectigalibus frumentariis multum usui urbis Alexandriae et provinciae necessitatibus [6] impendi. Magnopere igitur aucta erat haec collatio a Ptolemaei Philadelphi inde temporibus, qui quinquies tantum et decies centena millia artabarum (5,000,000 mod. Rom.) accipiebat [7]. Neque posteriore aetate frumenti cultura eodem modo floruisse videtur, quia quae Iustiniano imperatore

---

1) Rudorff l. l. p. 185. Varges l. l. p. 60.

2) Roem. Rechtsgesch. I. p. 394. n. 50. Equidem certe quoad in hanc rem inquisiverim, nihil inveni, quo confirmaretur Romanos ab agris quoque tributum pecuniarium in Aegypto exegisse.

3) Aurel. Victor epit. de Caesaribus I.

4) Plin. XIX. 5. «Aegypto mire celebratur» (raphanus) «propter olei fertilitatem, quod e semine eius faciunt. Hoc maxime cupiunt serere, si liceat, quoniam et quaestus plus quam a frumento" etc. cfr. d. h. l. Huschke l. l. p. 149.

5) Aurel. Victor l. l.

6) Rudorff l. l. p. 142; Tac. Ann. II. 59.

7) Hieronymi comment. in Daniel. c. 11. ed. Migne t. V. p. 559—560. Persicam cum Aegyptia artaba confundit Varges. l. l., si 10,000,000 mod. Rom. computat. cfr. Wurm de ponderum etc. rationibus apud Rom. et Graecos p. 134. Boeckh Metrol. Unters. p. 243.

Constantinopolim quotannis comportabatur frumenti copia, 8,000,000 mod. Rom. non excedebat [1]. — In exactione huius tributi inter Aegyptum aliasque provincias hoc interfuit, quod harum decumae etiam sub primis imperatoribus plerumque equitum societatibus vendebantur ab eisque exercebantur [2], in Aegypto autem eas publice exigendas praefectus provinciae curavit [3]. Equitibus autem illustribus et senatoribus ne adire quidem hanc provinciam iniussu imperatoris licuit, quia, ut Taciti (Annal. II. 59.) verbis utar, Augustus „seposuerat Aegyptum, ne fame urgeret Italiam quisquis eam provinciam claustraque terrae ac maris quamvis levi praesidio adversus ingentes exercitus insedisset.“ Inde facile cognosci potest, quanti momenti ad alendam urbem Aegypti tributa fuerint neque aliter ac Augustus Vespasianus iudicasse videtur, qui cum Aegyptum „claustra annonae“ legionibus suis obtineret, putavit „posse Vitellii exercitum egestate stipendii frumentique ad deditionem subigi.“ (Tac. hist. III. 8. cfr. Ioseph. d. bello Iud. IV. c. X. n. 5.). Quod cum ei haud ita contingeret, etiam Africam, „terra marique invadere parabat, clausis annonae subsidiis inopiam et discordiam hosti facturus.“ —

Attamen quamquam imprimis ex his provinciis urbs sustentabatur, etiam ex multis aliis frumentum Romam invehebatur. Quod ex Plinio praesertim patet, qui multas terras nominat, e quibus frumentum Romam importari soleret [4]. Et magnam quidem in partem id non publico sumptu,

---

1) Iustin. edict. XIII. c. 8. d. h. l. cfr. Gibbon history of the decline etc. ch. 40. n. 56.

2) Tac. Ann. IV. 6. „at frumenta et pecuniae vectigales, cetera publicorum fructuum societatibus equitum exigebantur.“

3) Rudorff l. l. 137.

4) hist. natur. XVIII. 12. ubi Gallicum, Beoticum, Cyprium, Thracium nominat, ad quas terras etiam Hispania addenda est, (Strabo III. 2.) e qua iam liberae reipublicae temporibus frumentum Romam saepius mittebatur Cic. pro Balbo c. 17. n. 20,

sed a negotiatoribus invectum esse videtur. Sed non prorsus desunt testimonia, quae publicas frumenti collationes ad urbis usum etiam aliis provinciis impositas esse probant [1]). Sic in inscriptione quadam apud. Orellium n. 750. Tib. Plautus sub imperatore Vespasiano propraetor Moesiae laudatur, qui „primus ex ea provincia magno tritici modo annonam populi Romani adlevavit.“ Nec de Britannia dubitari potest, quin ei sive a I. Caesare sive a primis imperatoribus frumenti tributum indictum sit, [2]), quamquam eo non urbem sed legiones Britannicas sustentatas esse, vix dubium est. Eodemque modo, quae in Asia Ciceronis aetate exigebantur decumae, Romam non allatae esse videntur, quia nec Cicero nec Varro locis s. ll. hanc provinciam inter eas referunt, quae urbi annonam praestarent; a Caesare autem has decumas in certum mutatum esse stipendium Huschkius [3]) demonstravit. Attamen in hac provincia ad urbis usum interdum senatus emisse videtur frumentum. Quod negotium Bruto post Caesaris mortem traditum esse a Cicerone comperimus eademque provincia in Sicilia Cassio ex senatusconsulto mandata erat [4]). Neque haec via frumentum ad publicum usum comparandi unquam quamvis magnis provinciarum praestationibus prorsus sublata esse videtur. Nam et liberae rei publicae temporibus saepius commemoratur et de primis post Chr. saeculis Plinii testimonio confirmatur, qui in panegyrico de re frumentaria agens laudat Traianum, quod iam emat fiscus, quidquid videatur emere (cap. 29.), postremis autem imperii temporibus, quae in nostram quidem disputationem non cadunt, interdum admodum consue-

1) Quae postea in Italia quoque exacta esse constat frumenti vectigalia, ea ad alterum iam p. C. saeculum referre dubitavi, cum regionis annonariae primum a Trebellio Pollione (trig. tyranni c. 23. (24.)) mentionem factam esse viderem.

2) Huschke l. l. p. 26.

3) Cicero ad Atticum l. XV. 9, 11.

4) l. l. p. 23. n. 48.

visse coemtionem frumenti (*σιτωνίαν*) ex iuris codicibus apparet. Ex quibus dispersa quoque per provincias publica horrea cognoscimus, quae ad tantam rei frumentariae publicam curam etiam antiquiore aetate necessaria fuisse in propatulo est. Et commemorantur ea in Africa (legis Thoriae c. 48. restitut. Rudorff.), Aegypto (Tac. Ann. II. 59.), in Britannia (Tacit. Agricola c. 19.) etc. Neque in eis eae tantum condebantur fruges, quae in urbem mox comportarentur, vel militum victui essent, sed magnae coacervabantur copiae, e quibus saepe etiam ipsis provincialibus in annonae sterilitate frumentum suppeditabatur. Ita Siciliae civitatibus mutuum dedit frumentum M' Aquillius bello fugitivorum [1], in Aegypto Germanicus apertis horreis levavit pretia frugum [2] et cum Traiano imperatore summa esset in eadem provincia frugum sterilitas, non solum urbs facile carere potuit huius provinciae subvectionibus, tertia igitur parte omnis frumenti importaticii, sed etiam Aegypti necessitatibus publico frumento ex aliis imperii partibus convecto largiter subventum est [3]. Quantae autem in urbanis horreis condi solerent frumenti copiae, discimus ex Aelii Spartani vita Severi c. 23, qui imperator „moriens septem annorum canonem, ita ut quotidiana septuagena quinque millia modiorum expendi possent, reliquit.“ Itaque tum in urbe condita erant fere 190,000,000 mod. R. (circ. 30,000,000 medimn. Berol.). Quae vis frumenti nescio an non semel tantum unius imperatoris singulari cura collata sit, sed illo tempore semper in horreis urbanis ex certis legibus reponi

1) Cicero de lege agr. c. Rullum c. 30. n. 83.

2) Tacit. Annal. II. 59.

3) Plinii S. panegyr. c. 30, 31, 32. «Refudimus Nilo suas copias, recepit frumenta, quae miserat deportatasque messes revexit.» — «Quam nunc iuvat provincias omnes in fidem nostram ditionemque venisse, postquam contigit princeps, qui terrarum foecunditatem nunc huc, nunc illuc ut tempus et necessitas posceret, transferret referretque.“

debuerit. Nam etiam sub Heliogabalo septem annorum canon frumentarius in urbe exstitit et is „iuxta provisionem Severi et Traiani", ut Aelius Lampridius addit, e cuius vita Antonini Heliogabali haec petita sunt. Qua in re si a veritate haud abhorrui, iam vide quantum distet a magnitudine huius provisionis similis lex, quae pistores Parisienses et in suis et in publicis horreis tantum frumenti ad annonae necessitates condere iubet, quantum ab urbis incolis viginti quatuor fere diebus consumitur [1]). Ad quam copiam vulgo eadem fere summa publico sumptu reposita accedit [2]). Sed ut ne ea quidem lex nunc Parisiis observatur [3]), ita etiam Romae Traiani praeceptum saepe migratum ob eamque causam a Septimio Severo restitutum esse puto. Antiquiore quidem aetate talis provisio inusitata fuisse videtur summaque in urbe interdum orta est perturbatio, cum quatuordecim vel octo tantum dierum alimenta urbi superessent [4]). Qua occasione cum iam ad urbis consumtionem frumentariam pervenerim, mihi addendum esse videtur me frustra quaesivisse, quomodo aliqua cum fide computarem, quanta annua eius summa certa quadam aetate fuisset. Nam unum quod de hac re in scholio quodam ad Lucanum [5]) exstat testimonium perquam dubia esse fide videtur. Quae enim ibi nominatur quotidiana summa 80,000 mod. (annua igitur 2,920,000 modium circ. 480,000 med. Berol.) ea sufficere vix potuit, ad alendos omnes, qui, cum Pompeius curam annonae gereret, erant urbis incolae [6]). Nam si unumquem-

1) La Presse 20. fevr. 1851, Sur la liberté de la boulangerie.

2) Rau, Nationalökonomie 3. Aufl, t. II. p. 238.

3) La Presse l. l.

4) Tacit Ann. XII. 42, Seneca de brevitate vitae c. 18.

5) In Weberi edit. t. III. p. 58. ad libr. I. v. 319. Loquitur autem scholiasta de Pompeii tempore.

6) Quam in rem primus animum meum advertit Fr. Ritschelius praeceptor dilectissimus, mecum benignissime communicans, quod ei de hac re Hildebrandius scripserat.

que per annum fere quadraginta octo modios (7½ med. Berol.) consumsisse sumis [1]), circiter 600,000 homines tum Romae vixissent. Sed vidimus supra nonnullos annos post Pompeii prafecturam 320,000 cives Romanos frumentum publicum accepisse, quibus si addideris feminas, infantes, servos, multo maiorem numerum incolarum quam 600,000 accipies. Itaque haud scio an Lucani scholiasta, qui saeculo demum decimo quinto p. C. vixit [2]), numerum e scriptore aliquo hauserit, qui de canone frumentario urbis, qualis posterioribus temporibus constitutus erat, disserebat. Hunc enim canonem per singulos dies octogena fere millia modium explevisse et ex Aelii Spartani loco supra laudato et inde colligi licet, quod eundem prorsus numerum frumenti Constantinus destinaverat urbis Constantinopolis usui [3]), cuius leges et instituta ad summam Romanorum similitudinem eum disposuisse constat. [4]). Quin autem id tantum frumentum canon urbis nominatum sit, quod publico sumptu suppeditabatur urbi, nemo quoad sciam dubitavit [5]). Iam vero praeter publicos commeatus, magnae semper frumenti copiae a negotiatoribus Romam sunt invectae. Cui negotiationi largitiones quidem et venditiones publicae non potuerunt non magnopere obesse, praesertim cum frumentarii acerbis quoque deterrerentur poenis, quae in eos statutae erant, qui comprémerent frumentum [6]). Itaque

1) Boeckhius in singula Atheniensium capita sena tantum medimna computat, (Staatshaushalt d. Athener I. p. 84, 85.) sed vide quae de Romanorum consumtione congessit Dureau de la Malle économie politique des Romains. I. p. 272—279.

2) Weber l. l. t. III. pag. XXXII.

3) Socratis hist. eccl. II. 13. cum commentario Valesii.

4) Walter Roem. Rechtsgesch. I. p. 447. n. 355.

5) cfr. de huius vocis significatione Kuhnium l. l. p. 1081.

6) cfr. quae supra de lege Iulia de annona dixi et Ulpian. l. 6. D. extraordin. crimin. (47, 11.): „ne aut ab his qui coemtas merces suppriment, aut a locupletioribus, qui fructus suos aequis pretiis vendere nollent, — annona oneretur.“ Talibus edictis privati pro-

iam Augustus necesse habuit ita temperare rem frumentariam, „ut non minorem aratorum et negotiantium[1]) quam populi rationem duceret.“ (Suet. Actad. c. 42.). Quod vel aucto pretio frumenti, quod praeter largitiones populo publice vendebatur, vel eius summa minuta facile efficere potuit. Attamen paullo post etiam magnis incitamentis Romae indiguisse videtur negotiatio frumentaria. Inter quae quidem non referam, quod semel a Tiberio factum esse narratur, qui frumentariis certum statuit pretium, quo venderc deberent, in singulos autem modios ipse binos eis addidit nummos (Tac. Ann. II. 87.). Sed cum iam a Claudio[2]) et Nerone[3]) multa in negotiatorum frumentariorum commodum sint constituta, tum plura etiam eorum privilegia in Digestis commemorantur, quae Hadriani praesertim aetate eis concessa esse Kuhnius opinatur[4]). Antequam autem finem imponimus his quaestionibus de variis modis, quibus Romani perpetuam annonae affluentiam suae urbi comparare studuerint, commemorandum etiam est Domitiani quoddam edictum, ex quo discimus, quomodo hac in re moderanda, qui rebus Romanis praeerant, ne fortiora quidem remedia reformidaverint. Narrat enim Suetonius (Domit. c. 7.) Domitianum, cum existimaret, „ad summam ubertatem vini, frumenti vero inopiam nimio vinearum studio negligi arva“ edixisse „ne quis in Italia novel-

hibebantur, quominus frumentum ad annonae necessitates reponerent, cum omnis lucri spes eis adimeretur. Itaque tota huius rei cura conferebatur in rempublicam. Quod mihi explicare videtur, cur tantae copiae in publicis horreis accumulatae sint.

1) Negotiantium vel negotiatorum nomine saepe ipsos frumentarios negotiatores significari, Ernesti iam annotavit ad Tac. Ann. II. 87. cfr. praeterea Ann. XIII. 51.

2) Sueton Claud. c. 18. Quem imperatorem magnis quoque molibus in Tiberis ostiis exstructis id egisse Dio (LX, 11.) narrat, ut sine periculo commeatus ad urbem pervenirent.

3) Tac. Ann. XII. 43.

4) l. l. p. 993, ubi etiam Digestorum loca collegit.

laret, utque in provinciis vineta succiderentur, relicta ubi plurimum dimidia parte.“ Ex quo edicto nescio an colligere liceat, haudquaquam prospere semper processisse publicam annonae curam. Quod profecto mirum videri potest, cum nullum cautionis genus hac in re neglectum esse modo viderimus. Sed confirmatur haud raris de fame et inopia querelis. Sic Augusto imperatore bis summa in urbe orta est annonae caritas, altera anno u. 731, in qua curam Tiberii, qui tum quaesturam gerebat, laudat Velleius (II. 34.), altera a. u. 758, quae quanta fuerit, facile inde cognoscitur, quod et per tres annos duravit [1]) et Augustus ad levandam urbis annonam eo processit, ut „lanistarum familias omnesque peregrinos, servorum quoque maximas copias exceptis medicis et praeceptoribus trudi urbe praeciperet“ Oros. VIII. 3. cfr. Dio C. LV. 26. 27. Neque sub aliis imperatoribus magnae defuere in urbe frumenti inopiae. Sic Tiberio imperante (Tac. Ann. II. 87. VI. 23.) C. Caesare (Dio C. LIX, 17.) Claudio (Tac. Ann. XII. 43. Sueton Cl. 18. Dio Cass. LX. 11.) Nerone (Suet. Nero 45.) etc. saepius annonae caritate turbae plebis sunt excitatae. Et aliqua quidem ex parte contigisse videtur magnis imperatoribus, qui sub fine primi et initio secundi saeculi p. C. vixerunt, ut crebris his annonae angustiis providerent. Quod autem in horum temporum historia fere nunquam de fame et inopia urbana audimus, nescio an fontium quoque angustiis tribuendum sit.

Itaque facile intelligi licet, quantas habuerit illis temporibus difficultates eam urbem sustentare, quam Romam primis p. C. saeculis fuisse constat. Iudicium autem ferre de ratione, qua hanc rem aggressi sint Romani, meum esse non potest; quod si quis suscepturus sit, ei id agendum erit, ut et inconditum horum temporum negotiandi genus et principatum respiciat, quo prae ceteris imperii partibus urbs Roma frui nunquam desiit.

---

1) Fischer Roem. Zeittafeln p. 434. et p. 436.

Vita.

Natus sum Bonnae mense Decembri anni CIↃDCCCXXIX patre Christiano Friderico Nasse, quo ante hos tres menses et dimidium acerba me orbavit mors, matre Henrietta Nasse e gente Weber, quam vivam adhuc veneror. Primis litterarum elementis imbutus sum in gymnasio huius urbis. In quo multorum quidem magistrorum humanitate et eruditione fruitus sum, sed prae ceteris me sibi devinxere VV. CC. Zirkelius et Schopenius, quorum hic primus in me antiquitatis amorem suscitavit. Deinde maturitatis testimonio munitus auctummo anni CIƆIƆCCCCXXXXVI. civibus academicis huius universitatis adscriptus sum. Iam cum mihi propositum esset, ad studium historiae maxime antiquae me convertere, mox vidi non aliunde ad eam aditum patere, quam e philologia. Itaque me huic disciplinae per primos annos totum dedere institui. Anno CIƆIƆCCCXXXXVIII Georgiam Augustam petii, ubi per annuum spatium versatus sum. Bonnam reversus cum me non fugeret, quanta utilitas redundaret ad omne litterarum genus ratione tractandum e seminarii philologici exercitationibus, id intendi, ut inter sodales ordinarios reciperer. Qua in re cum benigne mihi gratificarentur Welckerus et Ritschelius directores clarissimi, contigit mihi, ut per annum eorum institutione fruerer. — Praeter hos viros, quorum lectionibus quoque plurimum debeo, praeceptores mihi fuere Goettingae VV. CC. C. F. Hermann, Lotze, Schneidewin, Wappaeus; Bonnae VV. CC. Arndt, Bernays, Brandis, Boecking, Calker, Dahlmann, Diez, Kinkel, Nitzsch, Nasse, Loebell, Schleicher, Schmidt, Schopen.

Quorum omnium virorum pro egregiis in me meritis semper mihi grata erit pieque colenda memoria.